



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

In Omnes Totivs Anni Dominicas Æstiuas, à Festo Pentecostes vsque ad
Aduentum

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXIX

Dominica Qvinta Post Pentec.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56259)

libitum erit, easdem laxas aut contrahis, siue te enim & tuo numine qui quam fieri negamus posse. Tibi quippe viuimus, per te mouemur, à te pendemus, à te esse nostram fortimur: quod euidenter hodie declarasti, cum tantam tuam esse in mare, quantā in terram, potentiam demonstras. Summum naturæ Dominum & rectore hodie te ostendi, cum & pisces in vnum coacti locum, & imo exciti in mari, iussis tuis obsequantur. Tu non sine miraculo Petri nauigium compleres ipsa declarans, quo d' verbo olim docueras, regnum cælorum, id est, Ecclesiam, simile esse sageng missæ in mare, ex omni genere piscium concludenti: simul & veteres figuras adimplens. In Arcā namq; Noe omne animalium genus collectum erat, & hodie omne nautile Petri nauigium ingreditur: è quo liquido colligere est, omne peccantium genus in Ecclesiam mittendum, in qua & penitentiam agerent, salutem sibi acquirere, itaq; recta ad virtutem tenderent, æternam sibi tandem aliquādo beatitudinem comparaturi: cuius confortes nos faciant Deus Pater, Deus Filius, & Paracletus Spiritus, Amen.

DOMINICA QUINTA POST PENTEC.

Partitio.

1. Veteris ac nouæ legis dispar comparatio.
2. De Pharisæica iustitia.
3. De homicidij immanitate.
4. De ira tum iusta, tum dira.

Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Matth. 5.

FIGVRA.

Secundus Israelitarum Rex Dauid, debiti honoris viadex, & iusti obseruantissimus, iniquo ferebat animo, si cui suorum domesticorum legatorumq; iniurias & contumelias irrogari cerneret: quin & indignabatur, tandem aliquando vindictam tempore suo de iisdem sumpturus: atque hinc Ammonias, quod legatos suos ignominiose habuif-

sent, & egregia contumelia affecissent, inter necione propemodum deleuit. Simile quiddam hodiernum nos edocet Euangelium, in quo magnum illum Dauid Jesum Christum inquam, honoris sui zelo incensum, & honoris suorum studiosissimum cernere est: dum nimirum proximo vllam iniuriam, contumeliam, ignominiamq; irrogari verat, eiq; ne bilem quidem aut stomachum velit moueri. Quod, qui diligenter obseruarit, næ ille Euangelicam perfectionem est affecturus: si minus Pharisæicam & fucaram quandam iustitiam visus est affectasse. Hanc hodie illam pertexere est animus. Spiritum Paracletum, qui succurrat, & gloriosissimam Deiparam, quæ patrocinio iuuet, idcirco compellemus: quare Angelicam salutationem in genua prouoluti recitemus.

AVE MARIA.

Quemadmodum Cosmographi & Physi-
ci, mundi huius machinam describentes, ean-
dem in duas regiones ac sphaeras dispersit
sunt, quarum hanc elementarem, altera cœ-
lestem nominarunt: ita & Theologi huc al-
ludendo vniuersum Bibliorum corpus in duo
Testamenta, nouum & vetus discreuerunt,
quæ duabus illis mundi regionibus quam o-
ptime respondent. Nam vi regio cœlestis e-
lementari multo est dignior ac nobilior, ita
quoq; nouum Testamentum veteri, tum per-
fectione, tum dignitate excellētius. Elementaris siquidem regio & corruptionibus, & impressionibus meteorologicis obnoxia est: cœlestis iisdem caret, & nunquam mutatur: ita quoque præcepta & ceremoniæ veteris Testamenti abrogatæ sunt, nouū vero Christi promissioni insitendo, nunquam violabitur aut interrompetur. Quin & cœlestis illa regio comprehendit solem facem illam rutilantissimam, luminis auctorem, motus omnis principem ac principium, ab illo terra illuminatur, splendorem habet ac fulgorem. Ita quoq; nouum Testamentum complectitur in se Jesum Christum, fontem omnis gratiæ ac principium, & ab illo vetus, omne suum bonum ac felicitatem comparauit. Denique vti cælum nebula dispellit, caligines discutit, & ab elementis tene-

I.

Mundus in
duas partes
diuisus.
Vtrumque
testamentū
duabus mū-
di regionibus collatum.

bras propulsat; ita quoque nouum testamentum tenebras veteris elucidat, ymbros abigit & figuras eliminat: verbo ut absoluam, lex gratiæ ad perfectionem adpirat, & Moisaica serpebat humi, nec à communi viuendi modo multum distabat.

1. Cor. 3.

Minutius hoc Apostolus expendens, verus Testam. idcirco litteram & legem occidentem; nouum vero spiritum viuificantem

In 2. Cor. 3.

vocat: *Littera occidit, spiritus viuificat.* Quæ verba Chrysostomus expendens ait: *Lex cum qui in sablato ligna colligit, Num. 15. lapidibus obruit: hoc est, quod ait Paulus, Littera occidit; gratia sexcentos homicidas & latrones accipit. Lex vetus eum, qui deprehensus fuerat, ex viuo mortuum reddidit: Lex nostra reum ex mortuo viuum efficit.* Augustinus quoque in eadem verba incidens, ideo credit litteram occidentem legem Moylis appellari, quod ipsa per se vitæ dare non possit: at è contra Euangelium spiritum esse, qui viuificat, quod gratiam, quæ vera animæ vita est, elargiatur, reos vero & improbos ad mortem minime deposcat, at omnibus amplissimam misericordiâ polliceatur. In quâ rem luculenter figuras producam.

Lib. de spiritu & littera. c. 4.

Elisæus Propheta Giezi puerum ad viduæ domum cum baculo festinat, quo filiû eius ad vitam reuocet: sed seruus in cassum adnititur, baculus nihil iuuat, & in vanum cedit labor & industria, ita vt Prophetam ipsum venire opus fuerit, qui mortuo superincumbens & exhalans puerum ad vitæ reuocauit. Misit olim Deus seruû suum Moysen, legem scriptam velut baculû ei in manus tradidit, attamen vitæ hominibus reddere non potuit, tantâ opus Dei requirebat industriam: quâ obrem ille tandem venit, homini superincubuit, exinaniuit se serui formam accipiens, teste Apostolo, & quamprimum mortuus ad vitam rediit. Carebat hac virtute Testamentum vetus, sed soli Euangelio eadem referuabatur: Giezi igitur eiusque baculus Moysen & legem illam austeram denotabant, Elisæus vero inermis, dulcem & gratum halitum emittens, Christum cum Euangelio, qui non nisi misericordiam & gratiam respirant.

LUC. 10.

Miser ille viator, de quo Lucas, qui in latrones inciderat, saucius & nudus iacet in via, exanimis, & spiritum extremum trahens.

Transit Sacerdos, nec motus est misericordia; transit & Leuites, ille quoque marmore durior: venit tandem Samaritanus, qui pietate motus & tactus intrinsecus, iumento seminaecem imponit, oleum vinumque vulneribus instillat, illoque in diuersorio deposito diligentem valerudinis eius rationem haberi mandat. Miser, eheu! Adam cum vniuersa posteritate sua in peccati deserto inops & omni gratiæ cœlesti spoliatus, & variis acceptis plagis saucius iacebat, iacebat, inquam, semianimis: viuebat siquidem corpore, sed quoad animam, exspirauerat. Præterit summus Sacerdos Aaron, transit & Leuites Moyses, lex & sacerdotium prætergressi sunt, veruntamen nemo salutem ægro impertit: sed ille, quem Judæi conuincendo Samaritanum nuncuparunt, (*homo bene dicimus nos, quia Samaritanus es?*) stetit in via, atque adeo miselli illius, id est, generis humani miserus est, vt vulnere alligari, curari, vitamque æternam, quam pene amiserat, restituerit. E quibus omnibus colligere est, legem & Moysen animas saluare non potuisse, sed soli Jesu Christo, & legi Euangelicæ hanc prærogatiuam referuatam.

Hinc factum credo, quod Christus à Joanne *radix & genus David* fuerit nuncupatus: nam vt è radice & trunco arbor, & late expansantes rami succum, substantiam & vitam trahunt: ita è solo Christo Dauid omnesque veteris Testamenti Patres, salutem, iustificationem, gratiam, merita & sexcenta alia dona hauserunt. Atque vt Cherubini oculos & vultum in propitiatorium conuertebant, ita quoque par erat geminum populum, veterem scilicet, qui Christi aduentum præcessit: & Christianum, qui deinde subnatus est, spem suam in solum Christum, verum & generale apud Patrem propitiatorium, conuertere, subseribit huic conceptui Apostolus dicens: *Christum proposuit bene propitiatorium in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.* In quem locum Theodoretus commentatus ait, Apostolû hic liquido demonstrare, verum Christum esse propitiatorium. Equidem hinc efficere volo, legem veterem obtegumentum & inuolucrum fuisse, nouam

Apoc. 5. Christus radix David uid appellatus.

Exod. 25.

Christus salutis auctor.

Rom. 3.

uam autem veram mysteriorum perfectionem, vnde idem Apostolus: *Vmbra habet lex futurorum bonorum.*

Vetus testamentum, quantum, quantum fuit nunquam cœli nobis potuit portas referare, at nouum clauis tradidit, & potestatem intrandi obtulit: *Tibi dabo clauis regni cœlorum*, ait Petro Dominus. Stephanus quoque cum lapidum imbre perplueretur, voce magna clamabat: *Video cœlos apertos.* Quin & Joanne Christum baptisimi aquis tingere, cœli referati & aperti visi sunt Joannes in Apocalypsi duodecim cœli portas patentes vidit: quod euidens argumentum est, in lege gratiæ cœli portas quas lex Mosaica oclusas viderat, aperendas, Neemias olim præcepit: *Non aperiantur porta Ierusalem* & q; ad calorem solis, similem olim legem visus est Deus post Adæ peccatū aduersus homines tulisse. *Non prius aperiantur porta Ierusalem cœlestis*, id est, quam magnus ille Messias, solis instar, mundo exoriatur, peccati tenebras dispellat, & igne amoris gratiæque animas hominum accendat.

In Numeris aliud decretū legere est: *Exules & profugi ante mortem Pontificis nullo modo in vrbes suas reuerti poterunt.* Allegoricus legis huius sensus miseris peccatores respiciebat, & ea designabatur, patres antiquos, & omnes Adami filios, paradiso ob delicta pscriptos, nō prius in cœlestem patriam ingredi posse, quam Jesus Christus, summus ille Pontifex exspirasset. Cæterum è longo hoc, quod hæcenus textui, exordio facile colligere est, legem veterem imperfectam fuisse, nouam vero eminentiorē & digniorē; quod & calculo suo Redemptor confirmat, & in nostram sententiam vitro secedit, dum perfectiora & puriora à nobis in lege gratiæ opera postulat, quā olim in lege antiqua Scribæ fecere & Pharisæi. Ecce Euangelium. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Ut ordine & certa quadam serie materiæ huius agmen in aciem producam, iustitiam Pharisæicam in castrorum fronte collocabo: perfectionem vero Euangelicam in ultimo agmine statuam perfectionem, inquam, quæ proximum diligere iuberet & omnem rancorem eliminaret.

Quod ad primum attinet, antequam longius prouehar, hic cum Chrystomo notandum occurrit, iustitiæ vocabulum hoc loco vox hic vnde accipi, prout iustitia virtus quædam particularis est, aut vniuersaliter pro vniuerso accipitur, virtutum agmine, vt & vulgo in hocce versu accipi solet:

Iustitia in se virtutes continet omnes.

Sanctus Hieronymus autem ait, iustitiam hoc loco idem esse, quod à peccato viuere immunem; non peccare autem, perfectam continet in se diuinorum mandatorum obseruationem.

In aliam sententiam descendens Augustinus, credit per iustitiam, pulchritudinem quandam animæ denotari, qua homines Deo grati sunt, & coram diuinæ maiestatis oculis gratiam inueniunt, vt pul. hri & formosi, coram hominibus, eamque in se cōplecti cum mali fugam, tum virtutū & boni sequelam: atque hoc modo Noë iustus in Genesi est appellatus; & huiusmodi fuisse certum est, illos decem, quos inuenire in Sodomis optabat Abraham; quo pentapolis excidium differret. Hæc illa iustitia est, quam à suis Dominus exigit, & quam Pharisæica maiorem & eminentiorem esse vult, id est, vt meliorem & sinceriores vitam ducant, quam Pharisæi & Scribæ. Iustitia igitur hic in genere intelligenda est: quod & Deo & rationi debita sit. Hoc igitur posito fundamento, dico, Dominum exigere, vt iustitia nostra maior sit & perfectior, quam Pharisæorum: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Abundet igitur necesse est, idque plurimas & egregias obrationes, quarum hæc prima est.

Pharisæorum & Scribarum iustitia penitus humana erat, opera propria spectabat, virtutibus propriis, non vero diuinæ misericordiæ; nec iustitiæ aut meritis Jesu Christi, innitebatur; persuadebant enim sibi, saluari se propriis meritis, nihil à Messia mutuando, posse, simulque operibus suis gratiam diuinam ex æquo, nullo meritorum aut gratiæ Christi respectu habito, deberi. Sed à coponimum quantum aberrabant: omnis siquidem hominum iustitia nihil est coram Deo, & ne obolum in altero mundo valet, nisi prout gratis ac meritis Redemptoris innititur.

Rom. 3. tur. Atque hic est vnus ex Aphorismis Paulinis: *iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, qua est in Christo Iesu, quem proposuit propitiatorum per fidem in sanguine ipsius.*

Figura. Leuit. 7. Huius autem iustitiae Christi per sacramentorum vsum, perque bona & meritoria opera participes reddimur, quibus Christi satisfactio, merita, iustitia, robur & vires suppeditant. Quod figura faciet manifestius.

Opera nostra 1. 6 sunt meritoria sine Christi gratia. Olim in propitiatione peccati agnus aut hœdus immolabatur; quo denotabatur, vereturum aliquando in mundum agnum, qui in crucis ara pro omnibus peccatis immolaretur. Fixum igitur maneat & inuolatum, nullum hominis opus coram Deo mereri, nisi à filij Dei & Redemptoris iustitia conducatur. Non prius amaræ & insipidæ Jerichuntis aquæ dulcedinem induerunt, quam Elifæus salem iisdem iniecit. ita quoque opera nostra, quæ instar aquæ amaræ sunt, sine salutaris pascionis sale insipida forent, sed eodem salita & cruce condita, dulcedinem mox induunt admirabilem. At huiusmodi non erat Phariseorum iustitia, vt quæ Christi passione tincta non erat, atque ideo melior & maior à nobis exigitur. Hæc prima ratio: iam ad secundam procedamus

Iustitia Phariseorū exteriora respiciebat. Phariseorum deinde iustitia imperfecta & defectibus plena erat, quod in rebus exterioribus sitam eam existimarent, ne hilum de intrinsecis solliciti; externa spectabāt, interna negligebant; cum tamen vera & perfecta iustitia è corde procedat, & animo insita sit. Hinc torques Christus eorum agendi rationem coarguens dicebat: *Va vobis Scribæ & Pharisei, qui mundatis, quod de foris est calicis, intus autem estis pleni rapina & immunditia.* Alibi quoque sepulchra appellat dealbata, forinsecus imaginibus & sigillis marmoreis insignita: intrinsecus putore, squalore, & putrescentibus ossibus plena, at iustitia Christiana, quo illam antecedit, è corde potissimum & animo procedat. necesse est, nam omnis gloria filia regis ab intus.

Matth. 23 *Psal. 44.* *Figura.* Vt autem hoc mysterium denotaret, voluit olim Deus, impietatis sibi offerri pinguedinem & adipem ouium, quæ intestina velarent, *Offrent ex ea caudam & adipem, qui operit vitalia, duos renunculos & pinguedinem, qua*

Leuit. 7.

iuxta illa est. Quod euidens argumentum, quo denotatum volo, Deum in operum & cogitationum nostrarum sacrificiis nõ modo exteriora, verum etiam interiora, cor scilicet & animam, sibi deposcere, Hicce sacrificiis affluuerat Dauid, cum diceret: *Benedic anima mea Dominum, & omnia, qua intra me sunt, nomini sancto eius.*

Procedamus ad tertiam. Pharisaica iustitia non nisi vanâ spectabat gloriâ, nec Deo placere studebat, sed hominibus; atque ideo non finis est sufficebat, vt eadem quis æternam sibi gloriam compararet. At nostra iustitia alio spectet, inanes illos gloriosæ rumulos negligat, inanes laudum titulos conculcet, & tolli Deo omnibus in actionibus, non mundo aut hominibus, placere satagamus. Idcirco toties summus ille magister suos edocuit vanâ gloriâ proterere: *Attendite ne iustitiã vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Alibi quoque laudū aucupes taxas, ait: *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.*

Cæterū hosce histrionibus & ludionibus similes dixerõ, nõ vt hi toros dies saltant & laborat, membra antrosum & retrorsum torquendo, vt spectatoribus placeant; vesperi vero membrorum concussionem agitationeque fatigati stultitiã suã culpant, & reprehedunt, quod se se exiguo lucello aut cinolumento accepto ita torserint ac fatigarint. Mundani enim, qui quidquid agunt, coram aliis agere student, vt ita hominibus placeant, mille tubent molestias se seque; excruciant; at vbi vix vespera & mortis nox ingruerit, dum nullam se mercedẽ vident recepisse, plorant, etulant, lamentantur, ingemiscunt. Et certe lamentorũ, gemituumque sonitum in auribus nonnisi audire videor; apud Sapientẽ enim clamant: *Ergo errauimus à via veritatis, & iustitia lumen non illuxit nobis, & sol intelligẽtia nõ est ortus nobis, lassati sumus in via, iugitatu & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus.* Porro viã Domini ignorare, & à verã iustitiæ tramite declinare, inque salebrosa & seruposa via mundi lassari, more Pharisaico viuere est, & vanã gloriã habrũ sequi, & cogitationes suas hominũ plausui, & laudibus vulgi adaptare. At hanc viuẽdi rationẽ detestatur Deus, dicens: *Nisi abundau-*

Iustitia Pharisaica non placere hominibus, sed Deo.
Matth. 6.
Matth. 23.
Simile.
Sap. 7.
Iustitia Pharisaica non placere hominibus, sed Deo.

rit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisaeorum.

Quarta hæc est; Iustitia Scribarum falsa & fucata erat, & nullo nomine, nisi externo quodam fuce commendabilis, falsæ legis intelligentiæ innitebatur: credebant enim irâ, odium, & alios prauos animi affectus, nõ esse corâ Deo peccatum, sed licita & ad iustitiam spectare & virtutem: quod in hodierno tamen Euangelio. redemptor coarguit, dicens: *Audistis quia dictum est antiquis, Sc. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Id est, Lex vetus exteriora damna- bat flagitia, qualia sunt homicidia, furta, adulteria; verum Euangelica etiam interna castigat, qualia sunt iniuria, ira, bilis & rancor erga proximum, quæ ubi ab animo proscripta sunt, perfectioni Euangelicæ locus est.*

Plinius naturæ arcanorum scrutator accuratissimus, regem apur, quem cæteris & pulchriorem & maiorem (duplo quippe cæteras excedit) naturæ finxit, aculeo carere tradit, atque ita semper inermem procedere. Quo naturæ opificem designate voluisse autumo, quo quis nobilior, dignior, & eminentior est, eo & maiorem morum suauitatem præferre, minus in alios sentire, & semper sine aculeo, sine rancore inquam, ira, bile, aculeis, acutissimis, mortemque inferre solitis, volare debere. Atque hoc est quod Euangelica schola edocet. At synagoga Iudæica aliam prælegebat lectionem, legem aliam, aliam quoque spectabat iustitiam, literalem inquam, & non spirituales, quæ non in animo ac voluntate, sed in externo tantum opere peccatum situm credebatur. Scribæ siquidem sibi persuadebant, præceptum non occidendi, non furandi aliena, non adulterij committendi, non nisi ad exteriora extendi opera. Sed fucata hæc iustitia est, & hanc se diiudicaturum aliquando, per Prophetam testatur Deus, *Cum accipero*, inquit, tempus, *ego iustitias iudicabo*, id est falsas, inanes, futiles, mendaces, Pharisæicas. At alia nostra sit oportet, nam nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisaeorum, non intrabitis in regnum cælorum.

Vltima ratio est; quod Pharisæorum iustitia non nisi mera esset hypocritis; plena fuce, fictionis plena & dissimulationis: exterius

quidem pulchra apparebat & perfecta, at reuera nihil erat. Hinc toties hypocritarum nomine eosdē Dominus donauit in Euangelio, *Hypocrita bene prophetauit de vobis*, & alio in loco, *Quid me tentatis hypocrita?* Ceterum hypocritarum opera geminæ mangonicæ sunt, & nummi adulterini, qui in alio orbe nõ ad circumliti sunt, interius vero ærei, ita quoque adulterino opera hypocritæ exterius videntur aurea, collata. aurum virtutis ostentant, ac intrinsecus ære malitiæ, falsitatis, mendacij sordent, statuas Nabuchodonosoris perfimiles, quæ vultum habebat aureum, pectus æreum.

Referunt nonnulli, poma quædam haud procul à mari rubro nasci, quæ exterius quidem pulchra & iucunda videntur, at tacta in fructibus famum, & quidē pestilentem, ac cineres rubri maris soluntur. Hypocritarum opera pomis his esse similia, cenfeo simillima, quæ in rubro mundi huius mari enascentia, extrinsecus splendore & fulgorem ac meritum soliditatem præferunt, sed quamprimum ut omnipotens eadem, partum licet, tetigerit, in fumum & vanitatem euanescent, & coram Deo & hominibus finceris sordent ac putrescunt.

Struthio plumas habet accipitris & herodij, ut ait Iob, *Penna Struthionis similis est herodij & accipitris*, quæ duæ aues ceteras in volando antecellunt; at à terra se sustollere nequit; alas quidem habet ut aues masculæ & generosæ, sed earum volatum nõ potest imitari: & quamuis alas ad volandum interdum explicet, è terra tamen se leuare nequit. Verus hypocritæ typus hic dignoscitur: quamuis enim egregias præ se ferat actiones & virtutes, quas viri sancti exercere, sublimem se volando sustollere & cælum petere videatur, corde tamen & animo nunquam terram deserit aut mundo valedicit.

Arx exterius balistis pluribus quæ emineant, instructa, turribus circumsecus murata, propugnaculis vallata, & varijs armamentis circumdata, terrori & admirationi est adspicientibus; at sæpe interius nihil præter hunc bellicum apparatus & minas panicas apparet. Si quis enim ingrediatur, & singula diligentius excutiat, videbit oēs illas machinas inanes, balistas, non puluere, sed rubiginis & situ

Hypocrita
Struthioni
cõparatus.
Cap. 39.

Simile.

plenas.

Iustitia
Pharisæo-
rum falsa.

Ps. 16.

Simile.

Ps. 74.

Iustitia
Pharisæica
mera hypo-
critis.

plenas, propugnacula dissuta, loca; vicina pulvere, globis, & igne, quæ tamen cumprimis necessaria sunt, carere. Id ipsum de hypocrita dici potest; exterius quippe eum omni virtutum genere, & omnigena armatura spiritali munitum videbis, ieiunijs inquam, elemosynis, oratione, & alijs sexcentis, adeo ut omnes in admirationem trahat: at qui interiorius examinare voluerit & excusserit, videbit hand dubie omnem illam armaturam igne & flamma diuini amoris, pulvere humilitatis, plumbo & globis rectæ ac sinceræ intentionis destitutam: ideo ictus infligere nequibit, nec cælum violenter perfingere, quo in beatas sedes ingrediatur.

Conceptus Philosophicus.

Quomodo aquila pullos examinaret.

Naturalium rerum Scriptores tradunt, auium reginam aquilam, pullos, num legitimi sunt, an vero adulterinæ propagines, exploraturâ, eos soli è directo opponere solere: tum si quos ad radiorum fulgorem viderit coniuuantes, & irretorto oculo splendorem non ferentes, ut spurios haberet, & velut generosa aquilarum stirpe indignos nido eijcere.

Ut autem è naturali hac indagine conceptum eliciam Theologicum, dico, vnum è precipuis, è quibus aquila reginæ, id est, Iesu Christi pulli ac filij dignoscantur, signis esse, si oculorum vim ac perspicacitatem soli iustitiæ è directo opponant, i. e. si omnia quæ agunt opera, cogitationes, voluntates, intentionesque ad solius Dei dirigant gloriam & honorem. Qui vero secus facit, in Euangelium peccat, hypocrita est; Phariseos imitatur, & summi magistri præceptum violat, docetis, *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum.*

Simile.

Non errauero; si Phariseorum synagogam meretrici & adulteræ comparauero: nam ut hæc se comit, ornat, adscitios colores & succos assumit, vestes pretiosas induit, gemmis & monilibus sese circumdat, non ut viro placeat, sed lenones & adulteros in sui amorem & castes pertrahat: ita quoque synagoga (de qua dicitur, *Gens praua & adultera signum quaerit*) iustitia se, virtutibus, bonisque operibus, quæ vere monilia & vestimenta spiritalia sunt, exornabat, non ut in legitimi sui sponsi, Dei inquam, oculis gratiam inueniat, sed ut mundo, carni, & diabolo, cum quibus adul-

terari consuevit, placeat. De qua in hunc sensum à Ieremia dicitur, *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* Et ab Ezech. *Cum idolis suis fornicata sint* in solum itaque mundum oculos defixos habebat, nec in cælum vos vniquam sustollebat, solam vanam gloriam spectabat, quæ virtutum grando, & humanarum actionum vastitas ac pernicities; sed velis remissis; nobis hæc fugienda est, in quo imitandi sunt Iudæi post reditum è captiuitate Babylonica templum Ierosolymitanum instaurantes, de quibus in Esdra legitur, *Vna manus faciebat opus, & altera tenebat gladium.* Hinc siquidem opera bona & meritoria exercenda sunt, illinc vero aduersus vanam gloriam, bonorum operum hostem terribissimam, gladius stringendus: atque ita fiet, ut iustitia nostra Pharisaicam longo sit intervallo superatua, Domini præcepto obsequendo, dicentis, *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Phariseorum, non intrabitis, &c.*

Porro Phariseorum iustitia in eo potissimum sita erat, quod aliorum peccata acerrime reprehenderent, & sibi peccantibus adlarentur, peccataque propria artificio quodam velarent. Vult itaque Dominus Christianorum iustitiam superare, i. e. vult Christianos in propria errata seuerè & rigide animaduerte, sed aliorum delicta modeste carpere aut potius coniuere: in quo plurimos modo peccare videmus, qui more Pharisaico minimum in proximum nauum intuiti, nubium tenuis eleuant, propria vero terribissima licet ac maxima, velant & deprimunt.

Figuram quam scitissimam in Regum historia legere est, Cum Absalò aduersus Dauid patrem insurgeret, illius regno insidiatus, & in tales eum compelleret angustias, ut Hierosolyma deserta desertum peteret; videretque rege egresso, Davidis integerrimum Chusai in palatio stantem, eum coarguit, dicens; *Hæc est gratia tua à amico tuo, quare non iuisti cum amico tuo?* Interea non videbat se maioris culpæ reum esse, quod patrem bello adeo in quo premeret ac persequeretur. Rebellis ac refractarius hic eos denorat, qui minima in alijs delicta culpant, cum ipsi maiorum & grauiorum coram Deo rei inueniantur: aduersus quos in Euangelio Dominus

Ierem. 3.
Ezech. 10.

2. Esdr. 4.

Phariseorum peccata conuuebant.

2. Reg. 16.

Lu. 6.

ait, *Vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides.*

Similia.

Ad hæc iustitia Pharisaorum talis erat, ut alios, quæ ad salutem spectabant viamque salutis, edoceret, cum ipsi ne manum quidem operi admouerent: in quo templorum campanas optime referunt, quæ alios ad facta conuocant, ipsæ tamen fixæ in campanili manent: aut ocliferia & inter signa diuersorum, quæ omnes ad hospitium inuitant, & peregrinos intrare quodammodo compellunt, cum ipsa ventis, pluuia, imbribus semper exposita maneat: aut miseris arcæ Noë compactoribus, qui alijs quidem, qua diluuiio eriperentur, nauem compegere, intrare tamen detrectantes, cum alijs vnda absorpti sunt.

Sen. 6.

Non fecit etiam nostri Pharisei, qui alijs arcem construerebant, varia ad salutem media suggererent, plurimas ad diuinæ iustitiæ tempestatem euadendam rationes reperiebant, fluctibus tamen immergi perire: omnes ad cælum inuitabant, ipsi ne pedem à terra mouere cupiebant. Nostri porro est, aliter vitam instituire, nam *Nisi abundaueris iustitia nostra plusquam Scribarum & Pharisaorum, &c.*

Pharisei parua magni faciebant.

In hoc quoque Pharisaica iustitia sita erat, quod minima & friuola plurimi facerent, maioris vero momenti ac ponderis res penitus negligenter: è musca faciebant elephantem, & ex elephante muscam.

An non meministis, quomodo illi ipsi olim discipulos reprehenderent, quod illotis panem manibus manducarent, cuius contrarium ipsi antiqua quadam traditione à maioribus acceperant. Ipsi tamen Dei præcepta violare non verebantur, præcepta inquam parentum honorandorum ipsique obediendi. Huiusmodi Phariseis hodie mundus scaret, qui plurimam corporis, nullam vero animæ rationem habent.

Simile.

An non stultus ille ac fatuus dicendus esset, qui e quum pretiosis monilibus conuestiret, gemmisque varijs exornaret, corpus vero suum negligenter, vilibus panniculis & seruitis conuestiret, & assumentis variis deformaret. Longe maior profecto eorum dicenda est vesania, qui tantam corporis, quod

Tom. 2. Pars Æstiuæ.

non nisi vilis & strigosus quidam equus est, rationem habent: miseram vero animam longe nobiliorem, deserunt ac derelinquunt.

Hinc bene, meo iudicio, Musicos reprehendit olim Diogenes, quod instrumentorum fides concinne ad numeros adaptarent, & harmoniam auribus gratissimam efficerent, mores vero dissolutos haberent, nec ad harmoniam componerent, animæque affectibus non temperarent, nec ad rationis numerum redigerent. E contra vero sapienter mihi visus est respondisse Themistocles: hic enim cum in conuiuio quodam, in conuiuarum gratiam, rogatus esset pulsare testudinem: eius sese artis ignarum confessus est: cum vero quidam ab eo deinde peteret, quidnam tandem sciret, ait, *Rem publicam ex parua magnam noui facere.* Insinuare volebat, absurdum esse, & homine penitus indignum, exigua, friuola, minuta, curiosius inuestigare, maxima vero negligere. Equidem post illum hinc infero, malum esse & periculi plenum, in paruis scrupulosum & anxium esse, maxima vero peccata non vereri committere.

Phariseum agebat David, cum visa Bersabee, amore iam illaqueatus, curiose inquireret, num honesta & pulchra foret: non vero rogaret, num matrimonio esset copulata Iudæi verebantur die festo prætorium Philati intrare, innocuum vero Christum falsis testimonij ad mortem condemnare non reformidabant. Ecce iustitiam Pharisaicam, nostra maior sit oportet, atque in hac Evangelica consistit perfectio, quæ me ad secundum concionis membrum trahit.

Dicendum est igitur, ut ad alteram partem descendamus, quemadmodum lex gratiæ perfectior est lege scripta, opera quoque illius digniora, & iustitiam eminentiorem esse debere: quo collimans Seruator noster ait, Spiritum sanctum inter cetera, quæ in terra acturus est opera, mundum de iustitia arguturum, *Ille arguet mundum de iustitia & Ioan. 16. iudicio.* Id est, Spiritus ille æternus, summus animarum iudex, cum in mundum veniet, ob iustitiæ defectum illas condemnabit, quod in moribus & agendi ratione perfectio-

Q

fectio-

fectiores non fuerint discipulis Moſaicis & ſynagoga filijs.

Porro ipſa perfectio conſiſtit in hoc, quod veram iuſtitiam colamus, ex tota mente & animo Deo ſeruietes, & omne quod ad peccatum inducit, fugientes. tum quo ad cogitationes & alios motus interiores, tum etiam quo ad opera & exteriora: qua omnia breui hac ſententia comprehenſa ſunt: *Audiſtus quia dictum eſt antiq̄us, Non occida: qui autem occidit, reus erit iudicio: ego autem dico vobis, quia omnis qui irasitur fratri ſuo, reus erit iudicio: olim ſcilicet homicidia & exdes vetabantur, nunc autem ira & rancores. Quorum verborum occasione de homicidio non nihil excurrere dicemus.*

III. Et ſane homicidium peccatum tetrum ac Homicidium deteſtandum, ac grauib. dignum ſupplicijs. graue delictum. Omnis ſiquidem in ipſum armatur orbis, & nemo eſt quin illud puniri velit: nam praeter tortorum manus, & ſeueriſſimam Dei caſtigationem, ipſa conſcientia & natura perpetuo ſupplicio & remorſu excruciant illum, qui ſanguinem proximi effudit: ſemper enim ob oculos ſanguinolentam illam tam horrendi facinoris memoriam ponunt, vt terrorem & formidinem illi incutiant.

Cauſa vero cur ſeueleſtum hunc ita exagitant, haec ſtatui forte poſſe: cum enim vnaquaque ſanguinis gutta animae rationali, quae vera Dei imago eſt, (ſi modo ſanguis, prout Medici & Philoſophi etiam hodie diſceptant, animatus ſit) videntur conſcientia & natura peccatum agnoſcentes, & quodammodo indignates, quod ita imaginem creatoris violauerint, ſanguinem vel vitam illi vitam mouendo, authorem excruciare omnique ratione conari vt delictum illud caſtigent ac meritis efficiant ſupplicijs.

Hoc ſane exprimere volebat ſapiens & prouida illa Abigail, quando Dauidis animum placatura, armaque, quae aduerſus ſtolidum Nabal in manus ſumpſerat, manibus excuſſura, hac eum ratione aggreſſa eſt, *Non erit tibi hoc in ſcintillum in ſcrupulum cordis Domino meo, quo effuderis ſanguine innoctum, aut ipſe te vituſueris: Quali dicere voluiſſet. Noli, o rex, humano regias manus cruentare ſanguine, ne forte ſe remordens idcirco con-*

1. Reg. 25.

ſcientia te intrinſecus exagitet, ac mille te ſtipent, ſupplicia, hoc ſcelus tacite interne vindicantra ac punientia.

Notat Chryſoſtomus & bene quidem, Cainum, poſtquam parricidali dextera fratrem Abelem interfeciſſet, iuſto Dei iudicio, ſemper furijſ exagitatum, & vmbra fratris vbiuis locorum illum eſſe proſecutam, oculis eius aſſidue ſe repraeſentando, vltionemque tam horrendi & feralis ſcleris depoſcendo: tantumque parricidae timorem ac formidinem incuſſiſſe, ſemper vt membris tremeret, & lymphanti ſimilis & furijſ agitat. per agros vagus & erro diſcurreret. Additque, mortuum ſemper eum eſſe comitarum, aſſidue illum torquendo, & artiſſime ſtringendo: iuſtitiamque omni momento exigendo: quemque viuum a quis aſpicere oculis non poterat, a morte illum ſemper vt inimicum praec oculis habuiſſe.

Huius ſupplicio Dauid, iuſta Dei ſententia per Nathanum Prophetam declarata, poſt innocuum Vriam trucidatum, fuit addiſtus, *Vriam Hethaem percuffiſti gladio, & uxorem eius accepiſti in uxorem tibi, & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon: quamobrem non recedet gloria tua de domo tua uſque in ſempiternum.* ^{2. Reg. 12.} Aulam illius perpetuo nataturam ſanguine committatur, & homicidijs fore infamem: ſed aliud meo iudicio non intelligit, quam viuos illos aculeos & exagitationes, quibus ſyntereſis illum noctes & dies toto vitae tempore excruciet, vmbra ve Vriae omnibus locis adfuturam, & nullo non tempore de morte ſua vindictam, iniuriarumque ſibi illatarum compensationem & rationem exacturam. Ah quoties ille, tomno ab hac vmbra excitatus, eſtrato ſe corripuit, tanti ſcleris admiſſi poenitentia motus! Quoties inter Principes agens, vmbrae hae ob oculos veſtante & ſanguinem etiam ſtillantem commonſtrante, colloquia incepta interruptit, negotia reliquit interrupta vt clanculo calamitatem deploraret, & miſericordiam diuinam lachrymis expoſceret? Atque hoc innuere voluit, dum lachrymans, ſuſpirans, & ſingultiens clamat, *Et peccatum contra me eſt ſemper. Hem me, inquit, miſerum! Nulla mihi requies interdiu aut noctu datur, ſemper conſcientiae ſti-*

Pſal. 80.

stimulis exagitor, peccatum semper comitatur, inimicum habeo omni in loco inuadere parantem: omni momento Vriæ sanguis ob oculos versatur, qui me cruciat, flagellat & torquet, ac tantum non mori cogit.

Videant igitur sanguifugæ illi & homicidæ, quid sanguinem effundendo lucentur viuum quippe occidendo, gladium mortui, qui ditius & crudelius ferit quam viuentis, in caput suum exacuunt: cum Deo permitte, vt quos occiderunt in vita, iam mortui illos exagitent, & post fara vltionem, quam viui habere non potuerunt, deprecant. Præceptum igitur, *non occides*, integre & inuoluate obseruent.

Homicidij
grauitas.
Num. 35.
10, 20.

Est sane homicidium tam horrendum ac detestandum facinus, vt homicidæ in lege Mosæ patriâ profugi prius redire non possent, quam summus Pontifex exspirasset, ecce legis decretum, *Exules & profugi ante mortem Pontificis nullo modo in urbes suas reuerti poterunt.* Cuius rei rationem reddens Arias Montanus ait, ideo potissimum in mortem Pontificis reditum eorum dilatum, quod temporis mutatio magnam quoque varietatem in priuatis ac publicis negotiis mutationem adferre soleat: in morte autem Principis solet vt plurimum rerum mutatio contingere: tunc siquidem magistratus renouantur, & alia in iudicando ratio præscribitur: & cum summus sacerdos Principis loco apud Judæos fuerit, certum est, morte illius multas in regno mutationes contingere, nouaq; plurima occurrere, nulla vt præteritorum amplius haberetur memoria. Hac igitur sumpta occasione veniam sibi rei acquirebant, & in libertatem homicidæ asserebantur.

Rabbi Moy-
ses Maymo
lib. 3. c. 4.

Alias porro rationes doctissimas Andreas Masias, idque ex Hebræorum commentariis colligit. Prima è Rabbi Moyse Maymone est, quod summus sacerdos ac publicæ magis foret necessarius, quam priuatus aliquis: atque mors illius maiori luctu digna erat, eamque omnes velut communem & publicam prouinciæ vastitatem & exitium deplorabant: sæpenumero autem contingit, vt quando publica deploratur calamitas, priuata negligatur: adeo vt commune detrimētum Pontificis morte acceptum, omnem pri-

uati, quod homicidium attulerat, obliuionem induceret.

Alterâ Masij ratio est, quod homicidæ sanguinis humani effusione ita terram polluat atque inquinet, vt non nisi ipsius homicidæ sanguine purgari queat & expiari: potro mors commode expiari nequit, nisi morte alterius. Quoniam autem terra diuersis hinc inde cædibus profanata erat, & iuste cædes vindicari non posset: lex in benignitatem pronior, voluit vt vnus mors cæteratum loco satisfaceret: & quia magnus interfectorum numerus erat, vnus mors non satis futura videbatur, voluit igitur, vt morte summi Pontificis, qui pluribus æquiualebat, satisficeret interemptis, & obitu vnus, publica per omnem prouinciâ venia promulgaretur. Egregie profecto sunt hæ rationes, e quibus licet colligere, quam execrandum sit scelus, humanum effundere sanguinem, cum ad ipsum expiandum summi Pontificis mors sit necessaria.

Tantopere autem Jo. Chrysofost id ipsum detestatus est, vt Caini peccatum, quod homicidij species erat, grauius & enormius ipsa Adami præuacatione fuisse dicere non dubitaret: idq; colligit, & nõ in scite; ex maledictione imprecationeq; tum in hunc tum in illum lata: Adæ namque peccatum terræ maledictionem inuexit, *Maledicta terra in opere tuo*: at Cain occiso fratre, in caput suum maledictionem accessit. Audiamus aurea Chrysofost. verba, *Quanto maius hoc peccatum præuacatione inquit, protoplasti, ex maledictionis varietate videlicet, &c.* & tandem concludens ait, Cainum in hoc diabolo etiam parem fuisse, qui etiam in propria persona a Deo fuit maledictus.

At qui profundius peccati huius grauitatem & horrorem scrutari voluerit, is secum perpendat, a quor aduersariis homicidæ ad necem deprecatur, & quam multi vindictam de eo sumere gestiant, & quodammodo diè dicat. Primo ipse mortu⁹ ei bellū indicit: eiusq; sanguis clamat, vt & cæli vox ipsa penetret: q; notat Ambrosius, *quia, inquit, Deus iusto suo audit etiã mortuos, quoniam Deo viuunt.* Et obseruauerunt Hebræi, & cum iisdem Irianus, in Genesi, post funestū Abelis interitū, quo loco

Homicidium Caini
grauius
peccato Adæ.

Lib. de Cain
& Abel.

Gen. 4.

nos legimus, vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, in textu Hebræo legi, vox sanguinis: quod tantundem homicida sanguinis effundat, totq; homicidiorum reum constituat, quot iustus Abel proles, si vixisset, genuisset.

Vbi supra.

Secundo terra ipsa aduersum eum conspirat iustitiam, que exigit, prout idem Ambrosius innuit: quamuis enim defunctus eadem remitteret, terra tamen ad necem sicarium deposceret, vnde cum Ambrosio dico, *Vox sanguinis de terra: non dixit ad fratris corpore: quia si frater parci, terra non parci.*

Tertio, omnes in genere creaturæ aduersus eum armantur, & vbiuis locorum insidias ei struunt, & mortem parant, adeo, vt perpetuo in metu & formidine versetur: vnde ortum habuisse crediderim continuas illas agitationes & tremorem membrorum in scellesto Caïno. Cuius tremoris causam indagans Procopius Gazæus, & interrogans, quemnam timeret Cain, cum præter patrem & matrem in mundo nullus viueret, mox rationem subnectit, quod merueret ne omnes aduersum se creaturæ insurgerent, *Cain, inquit, vidit virtutes celestes, metuebat quoq; insidias ferarum & reptilium, quæ Deum ad vindictam creauit impiorum.*

Quarto denique Deus ipse, omnium acerrime interfectorem exagitat, qui eundem citius aut serius persequitur, & numquam inultum facinus hoc finit, sed grauissime vindicare conseruit. Testis sit nefandus ille Cain, qui fratre mandibula obruncato, statim assidua membrorum concussionem fuit castigatus, in qua ad septem vsq; generationes permansit: neque enim suam modo vixit ætatem, sed septem integras compleuit gentes: atque ita intelligendum est supplicium, quod a Deo illi fuit inflictum, *Omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur*, quæ verba exponens idem Procopius ait, *Punitio fiet de te septuplum, quia viues in cruciatu vsque ad septimam generationem, in qua à Lamech occideris, ergo omnis, qui te occiderit, septem vindictas exsoluet.* Hæc dicta sint hætenus, vt horrorem & enormitatem homicidij vobis ob oculos ponam: iam cholerae vobis & iracundiæ deformitatem exponam, quam Euangelium

prohibet, dicens: *Quia omnis, qui strascitur fratri suo, reus erit iudicio.*

Principio igitur hoc præsupponendum IV. est, iracundiam non semper peccatum esse, nec semper vitium secum trahere: vnde Psal. non semimista, *trascimini & nolite peccare.* Ipse quoq; per peccatum. Deus irasci interdum solet, ira tamen in ipso peccatum non est, nec esse posset: vnde scri- Psal. 4. ptum, *Quis potest iram tuam dinumerare?* Psal. 9. alibi, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me.* Ceterum diuina hæc ira ab omni delicto pura & purgata, furor & ira columbae in sacris literis solet appellari, vt in illo Jeremiæ, *Disperdit, ait, sator de Babilona, & tenentem falcem in tempore messis à facie gladij columbae, unusquisque ad populum suum conuertetur, & singuli ad terram suam surgent.*

Simile quid reperire est cap. quadragesimo nono, in quo de Nabuchodonosore Aegyptum deuastante sermo est, qui ideo gladius & macro appellatur, sed gladius columbae quod ad literam, eo quod Babilonij in vexillis & signis bellicis columbam depictam gestarent: mystice hoc de ira Dei accipiendum est, atque ita sanctus Gregorius interpretatur, dicens, iram diuinam furorem columbae appellari, quod irasci sine vlla perturbatione solet, & quamuis ira videatur intumescere, spiritus tamen & mens eius, semper in malacia est. Vnde discamus oportet, ita passiones & affectus pranos compescere, ne leonis sint furia, id est, vt iracundia felle careat, & ab omni perturbatione & inquiete sit immunis.

In Leuitico præcepit Deus, vt in Aaronis & filiorum oblatione, quam offerre debent Domino in die vñctionis suæ, pars decima ephi offerretur similia in sacrificio sempiterno, quæ in sarragine oleo frigenda erat. Quo edocemur, dum spiritus & mens in sarragine iracundiæ exstuat, oleum charitatis & misericordiæ infundendum. Huc quoque facit, quod Apostolus in Epistola ad Ephesios ait, *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Scio, literali sensu denotari, solem non prius debere occidere, aut diem finire, quam ira finem in animo acceperit: at dici quoque potest, mystice hic designari misci-

miseri cordiam & charitatem, quæ sunt virtutum quodammodo soles in hoc mundo, siæ quibus anima semper in tenebris agit, numquam in iracundia vestra occidere debere.

Aug. lib. 18.
de civit.

Inter gnomas septem sapientum, qui succinctis & Laconicis quibusdam sententiis doctrinam singularem concluderunt, ut bene notavit Augustinus, non immerito laudati meruit illa Periantri, qui depicto frano dicebat: *iram cohibe*: quo aliud significare noluit, quam iram, inquit equi indomiti & belluæ ferocientis, nonnunquam effrascere, quæ ut cohibeatur, frano, lupatis, & capitulo opus esse: atque huc Prophetæ verba torque relicet, *in chamo hyfrano maxillas vorum constringe*.

Pierius lib.
11. Rich. ar.
Dix. 10. 2.

Pierius Valerianus & Richardus Brixius, curiosi multa rerum inuestigatores, aiunt veteres, iram pacatam, & bilem detumescen-tem denotare volentes ingentem quercum, quæ arbor natura durior est, oliuæ ramis intercurrentibus depingere consuevisse: nam ut quercus animi obdurati & obfirmati lignum est, ita oliua pacati & sedati.

Omnia porro signabant: dulcedinem veram sedandæ iræ rationem esse, & oliuam & quercum, id est, dulcedinē, misericordiam, & clementiam vna cum furore, ira, bile, tan- core & affectibus feruidioribus concurrere oportere. Ipsa liquidem vera est ad ignes & flammam animi extinguendam aqua: ipsa est mare rubrum; in quo bellatrices illæ Egyptiæ submergantur: ipsa denique diluuium est, in quo carnales concupiscentiæ & depravationes suffocantur & pereunt.

Pier. Valer.
lib. 4.

Referunt naturalium rerum auctores, & inter ceteros Pierius, malogranatorum arborem, quæ suauissimos ferre solet fructus, si fructus amarescere & siluescere cœperint, non aliter ad pristinum saporem redire posse, quam si pini ramusculus radici eius alligetur, qui omnem amaritiam & crudelitatem atrahat. Ut secretum hoc naturæ proposito adaptemus, dicendum est, hominem, malogranatorum arborem esse à Deo ad fructus bonos & suaves producendos destinatum, atque ideo fortasse in summi olim Pontificis veste mala granata dependebant. At si forsitan fru-

Dix. 10. 2. 8.

ctus eius nimium crudi sint & acerbiores, violenti & iram spirantes: vera eadem dulces reddendi ratio est, pincum ramum radici- bus illorum apponere. At mihi huiusce rei ratio videtur, quod olim malogranatorum arbor amoris fuerit symbolū, & pinus mortis, semel enim hæc præcisa non excrevit aut repullulat.

Nulla porro melior ad animum fructibus amaris; quales odium, ira, & affectus pravi, onustum ad dulcedinem flectendum haberi potest ratio, quam si cogitationum radici mortis memoria applicetur. Hoc igitur cholericis utimini remedio, & iræ peltæ canepius & angue execrari, furiam hanc infernalem, impetum illum brutalem, animarum perniciem, mundi exitium, & rem illam homine indignam, fugite.

Stoici, referente Augustino, eos hominis nomine & titulo asserbant indignos, qui a pravis affectibus transuersum se agi permitterent: credebantque choleram in sapientis alienius animum cadere non posse: rati sapientes simul stare non posse. Quin & Aristoteles, inter ipsa generosi & magnanimi viri passionibus, officia velut primum recenset, irascinum, quam & iniuriarum omnium obliuisci. Omnes autem hoc vnum spectabant, iram homine penitus indignam, ac brutis ipsis propriam esse.

Lib. 9. de ci-
uit.

Opinioni huic suffragatur sapiens ille & Job. 5. passiones suas compefcēs Job, dum ait, iram non nisi stultorum esse, & nusquam iram nisi ubi stulticia, reperiri. *Virum stultum, inquam, Eccl. 7. intus facit iracundia, paruulum occidit inuidia.* Idem & sapiens, *Ne sis velox ad irascendum, quia iram sinu stulti requiescit.* Et vere ira Maniæ species est: vnde poëta;

Ira furor brutus est.

Seneca quoque libro de ira, nullam ad stultitiam faciliorem compendiosoremque iram viam credit, quam per iram. Cui sententiæ subscribens Apostolus ait, *non vosmet ipsos defendentes, sed date locum iræ*: insinuatam voluit, esse nobis iratum non secus ac iusanum quam primum fugiendum, eiq; locum dandum. A qua interpretatione non longe recedens sanctus Basilius ait: *Date locum, iræ quasi*

Rom. 12.

S. Basilius.

correnti, qui obuia quaq; impetu suo rapidissimo deuoluit. Plato quoq; interrogatus olim, quam potissimum re stultos a sapientibus dignosceret, sapienter respondit, *Sapientium vituperatur, non irascitur, cum laudatur, non extollitur.* Id est, homines cordati ac sapientes passionibus non subsunt, at stolidi & insensati semper exarsuant, & succensi sunt ira.

Ira vefania est.

Ira profecto hominem eo deducit insania, ut, si iniuriis affectus, vitionem sumere nequeat, & ratione rependere, de seipso eandem sumat. In quo tigridem animal ferocissimum imitatur: hæc enim, referente Plinio, si carulos, quos charissimos habet, amiserit, re comperta, raptorem mox celeri cursu profequitur: at ubi nullam carulorum recuperandorum spem esse cernit, ira succensa, & rabie rumens, in seipsam sauire, ac dentibus, vngues, ventrem, pectora dilacerare incipit, sui ipsius tortrix & laniatrix. Id ipsum quoq; & ira facere consuevit, in proprium corpus arma conuertens, cum in alios eadem nequit stringere. Suffragium suum huic rei addit & Job dicens, *Tigris perit, eo quod non haberet prædam: vel, ut ex Hebræo legitur, eo quod non fuerit prædam affecuta.* Sed vtraq; versione efficere volo, iracundum & ita ferascentem feroci tigridi non cedere, & ubi ira, tigrinum aliquid & brutale semper reperiri.

Job. 4.]

Lib. 1. de anima.

Lib. 2. de sensu.

Hier. 21. in Ioan.

Prov. 26.

Quotquot autem de ira scripsere, varia & inaudita, & tamē maxime propria ei nomina indidere. Aristoteles imprimis sanguinis accensionē & incendiū iuxta cor esse ait, Hugo de s. Victore, irrationabilē perturbationem mentis: Possidonius asserit appetitum puniendi eū, à quo te inique putas casum. Chrysofomus vero cæteris liberior dicit ebrietatis eam speciem esse, quæ animas prauis affectibus replet atque inebriat, rationemq; & iudicium surripit. Quin & vltius procedens, ut dæmone tertio eam depingit, *Ebrietas inquit, quadam est ira, vel potius ebrietate grauior, & dæmone miserabilior.* De hac autem ebrietate locū illum Prouerbiorum intelligi credo. *Spina nascitur in manu ebriosi, id est, irati: per spinas autem Spiritus sanctus inimicitias, iniurias, contumelias, & ignominiam, quæ ab ira nasci solent, intelligit: spinas inquam thami & rubi spinis acutiores.*

Calariensis Episcopus & eloquentia laude inter ceteros ecclesiæ Patres nobilis, Basilii, Libanii, magniq; Gregorij Nazianz. discipulus ac contubernalis, mecum coincidens, iram quandam dæmoniaci hominis effigiem esse confirmat. Et bene, meo iudicio, nam re ipsa & vsu quotidiano videmus eadem in corpore, cui infernalis hæc passio imperat, violentias, conuulsiones, motus, & furibundas agitationes, quæ in energumenis apparent, exurgere. Turpitu do enim, horroret & mimici illi gestus irati hominis, adeo terribiles & inepti sunt, ut plurimi, teste Seneca, visa in speculo sui ipsius irati imagine, ita pudore commoti sunt, numquam vt deinde ab ira se fuerint superari. Cui subscribit & Chrysofomus dicens, *Quod si iratus seipsum intus ripsisset, nulla vltius indigeret admonitione, nihil enim irato turpius.* Quam terras & horrendas Medusæ huius imagines & emblemata sacra nobis depingunt literæ, vt omnes in illius odium detestationemque excitent, quo eam remis velisq; fugiant.

Homil. de ira Dei.

Hom. 11. in Ioan.

Salomon tria esse ait; quæ terram contremiscere faciant & quantum quid, quod omnino nequeat humeris sustinere: tribus prioribus relictis, quod huius materiæ non sint, quantum esse dicit: *Ancillam cum fuerit hæres domina sua.*

Verum literali sensu seposito, ad allegorias confugiamus. Quando fieri putatis, ancillam dominæ locum inuadere, & in illius hæreditatis iura inuolare? quando scilicet bilis, cupiditas, caro, quæ iure naturali animæ & rationis ancillæ sunt, quæq; ei obedire & obsequi mancipiorum instar deberent, in dominam insurgunt, throno eam deturbare, eius priuilegia inuadere, dominium prætere conantur: atque hoc terra sustinere nequit, atq; hoc omnes animæ potentias destruit & concutit, & cunctas illius facultates ad seditionem, & dissidia concitat.

Hinc nobiscum sentiens M. Tullius seditionem in Republic. excitaram cum animæ bello intestino comparat, in Officiorum enim libris quodam loco scribit: *Sicut ciuius in seditione non potest esse beatus; nec in discordia dominorum, domus: sic animus à se ipso dissidens, securus.*

In officio.

secumque discordans nullam gustare partem liquida voluptatis ac libera potest. Vnde autem morus seditionesque in animâ republ. excitari solent; nisi è passionibus; quando nimirum ancilla in dominam insurgunt, quando passiones a duetsus rationem conspirât, quarum antesignanus & coryphæus ipsa est ira. Ita vero S. Iacob. innuit, dicens: *nde bellu & lites in vobis, nisi ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris, id est, è cholera, bile, vindictæ, appetitu.* Sed ad emblemata posthinc redeamus.

Ierosolymitanum excidium Deus Ezechieli repræsentaturus simulque iram designaturus, quam in miseram illam Iudææ metropolim conceperat; ferream sartagine nem vt acciperet præcepit, *Sume tibi, inquit, sartagine ferream, & pone eam murum ferreum inter te & int. r. civitatem.* Porro per sartagine hanc Hieronymus ingentē Dei indignationem designatam existimat, eeterum si Deus hocce emblemata adhibuerit, vt iram & indignationē suam ostenderet; maiori profecto ratione hominam iracundiam & inflammationem sartagine denotari dicendum est. Næ enim ipsa sartago quædam ferrea est, quæ cor & animum hominis, in æstuantem passionum & ultionis flamma excoquit & adurit.

Septem se Ioannes vidisse refert Angelos, septem quoque in terram phialas effundentes; de quarto autem hoc modo locutus est. *Quartus effudit phialam suam in solem, & datum est illi æstu affligere homines & igni, & æstuaerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt nomen Domini.* Quarta hæc phiala aliud meo iudicio non denotat, quam passionem cholera, quæ in solē se exonerat: nihil est enim, quod lumen rationis magis offuscet & obscuret, & intellectus solem è sphæra citius diuehat, quam ira & vehemens hæc hominum perturbatio. Angelus autem phialam hanc effundens ipse Satan est, qui effundendo ignē in anima succendere, eamque æstuantem reddere potest, qui cerebrum calefacere, hominum animos adurere, calore suffocare, atque ita ad iniurias & blasphemias euomendas pertrahere. At, vt dixi, solis deliquium inprimis causarur, & intellectui tenebras offudit.

Huc non inſcite faciet, quod refert Catharius, nuperus quidam auctor, sed qui multa lectu & dignissima & iucundissima perſcribat. Pingebant veteres Martem, vel Mellonam, vel furiam discordiæ, manu gladium præferentem, sed eodem viscera sua traicientem; pedes porro obscura quadam & caliginosa nube inuoluti atque irretiti cernebantur. Nihil autem aliud hoc designare emblemata voluerunt, quam iram, furorem: bilem mucrones esse qui lethale animo plagam inferrent; & furia illas ita hominem irretire & illaqueare consueuisse, nulla vt se ratione in libertatem posset afferere, aut libiore frui aere; nebula autem & caligo designabant, animorum illas faces exstinguere, tenebras menti offundere, omniaque intrinsecus obſcurare.

Agricola apes è præsepibus & fauis educuras, fumum adhibere, & ignem quemdam è viridi ligno excitare solet; quem vbi apes perſenere, euolant, fauos deserunt, quos agricola deinde euacuat. Vt hocce nostro themati adaptemus, dico dæmonem idem omnino facere consueuisse: fumum quippe cholera excitans, & furoris ignes in animo struens, efficit vt seipſo homo egrediatur, atque ita aluere vacuum diuinæ gratiæ melle spoliatur. Simile.

Refert in opusculis Plurarchus similitudinem non adeo alienam à proposito, de quo agimus: Igne per domum aliquam grassante, & omnia circumquaque corripiente, qui interius latet, ita plerumque fumo & ignitis exhalationibus circum oppletur & impletur, rationem vt effugij nequeat cogitare, ne dum reperire. Idem sæpenumero nobis contingere certissimum est, vt nimirum cholera in animo grassante, & fumofarum æstuantium que passionum flammis intrinsecus sæuientibus, ita interdum circum impediatur, nulla vt ratio periculo sese expediendi, & è ruina se propiendi suppetat. Nihil igitur nouum aut mirum videatur, si Evangelium nos ab hac Megæra viuere velit alienissimos; & procul à mente iram eliminare: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudi. 10.*

Notare

Notare autem vos velim, quandoquidem ad finem iam properat concio, summum illum magistrum veritatis, perfectionem quam Iudaeorum erat iustitiam inducere satagentem, efficere & probare velle, illum qui non nisi voluntate sua alicui necem infert; in lege Evangelica, non minoris criminis reum esse, minorem castigationem promereri, quam qui in Mosaica re ipsa cuiquam vitam eripuisset. Quasi dicere voluisset, vestra consuetudo & doctrina, Pharisei, morti adiudicat eum, qui homicidium committit: equidem vero & illum, qui & irascitur fratri suo.

Quomodo
ira hic acci-
piatur.

Vos actionem iracundiae, inque iudicium trahitis eum, qui fratri Raca dixerit; equidem illum hoc nomine condemno, & vinculis infernalibus mancipio. Simul hic etiam notandum venit, per iram Dominum non intelligere omnem vindictae appetitum, ut illam diffinire Philosophi, verum illam tantummodo quae ad homicidium viam parat.

Quid Raca
significet.

Obiter quoque hic observandum, ob varias verbi *Raca* notiones significacionesque, magnam inter Patres ac doctores in hoc explicando esse discrepantiam. S. Ioannes Chrysostomus vocabulum quoddam esse ait, contemptum includens, quasi dicas contempnim *Tu*. Augustinus vero interiectionem irati, & accentum quemdam indignantis. Hieronymus sibi persuadet, vocem Hebraeam esse; quasi dicas, vecors, vesane, mente & cerebro destitute. Doctissimus Maldonatus in hunc locum commentatus, vero similis credit verbum Chaldaicum vel Syriacum esse à radice Hebraica *Rik*, quae hominem leuiculum & inconstantem designat, descendens: vnde factum, ut *Raca* à Thalmudistis capiatur pro emota mentis homine, cerebro destituto, & qui iudicio caret.

Tria tribu-
nalia apud
Hebraeos.

Quarto notes hic etiam oportet verba illa, *reus eris iudicio*, tantumdem valere, ac si dicas, *reus mortis afficiendus est*: eo quod iudicium eo loco pro condemnatione accipitur; quod ut melius intelligatis, hic mente repetendum est, quod è libris Thalmudicis, & traditionibus Rabinorum constat, tria apud Iudaeos fuisse tribunalia, tria iuris-

ditionis, & tria iustitiae genera. In primo triamurum iudicabant. Hebraice *Mischpat*, Latine *iudicio* dicto, in quo de leuibus & parui momenti negotijs disceptabatur. Secundus confessus quidam erat praesidialis, viginti tribus constans iudicibus, in quo eandem maioris momenti tractabatur, Hebraice *Sandrin*, Graece *συνδριον*, Latine *Confessus*, appellatur. Tertium iupremum quoddam Parliamentum erat, 72. constans aëstionibus ac iudicibus, magni nominis viris, in quo de maximis & grauissimis rebus agebatur, de pace, bello, Pseudoprophetae de summo sacerdotio, aliisque tum ad reipubl. statum ac regimen, tum ad caerimoniarum sacrorumque ordinem spectantibus, & dicebatur, *Magnam synedrium*, quasi dicas consilium ac Parliamentum regium: horum tamen singula ad mortem reos condemnare poterant, & cum quatuor apud Iudaeos fuerint supplicia capitalia, scilicet crucifixio, decollatio, lapidatio, viui combustio, horum singulis tribunali bus fas erat ad praedicta supplicia condemnare: hoc tamen discrimine quod in primo rei non nisi ad minora ex his & leuiora supplicia condemnarentur. Vnde Dominus infert, homicidas tum re ipsa, tum etiam voluntate, item iniurios & contumeliosos, & iracundos, iudicio, id est, morte & poena capitali dignos esse.

Eia igitur Christiani, ad hanc perfectionem Evangelicam contendamus, non iam amplius more viuamus Pharisaico, Synagoga merita transcendamus, ad veram iustitiam aspiremus, iustitiam inquam quae tum exteriora, tum interiora complectitur, quae non minus iram ac furores quam homicidia execratur, quam terram hanc pestem, & infidos illos furores fugiamus, Regij Prophetae consilium sequentes, *Desine ab ira & deo. Psal. 38. linque suorem*: ne permittamus, obsecro, nos à violentis hinc turbinationibus transversum rapi, sed insculpamus animo egregium hoc Senecae Philosophi documentum. Quemadmodum, inquit, nauis tum vela in ventos laxant, quando temporis inuitat serenitas, & quando tempestas imminet, ne portu quidem exeunt, sed tuti delirescunt: ita quoque vnusquisque in mundi huius mari veli-

ficans

vicās rideat, ne dum passionum tempestates in anima exurgere incipiunt, in plenum se mare coniciat; ne vociferetur, efferascat, in indignationi plenos clamores prorumpat, sed patientiā anchora solidetur. Ita se fecisse fateatur vates regius, *Turbatus sum, & non sum locutus*

Psal. 67.

Quid Athenodorus Augusto suaderit, ita vinceret.

Venit mihi hic in mentem præclari documenti, quod referente Plutarcho, Imp. Rom. Augusto olim ad iram superandam & exterminandam, dedit Philoſophorum sui sæculi Deus Athenodorus: ut nimirum iratus, non prius quidquā aut diceret, aut ageret, quam Alphabeta Græci ordine recitasset elementa. Sciebat quippe, iram feruidum quendam impetum esse, qui rationem violenter abripiat, & subita quadam animos vi in præceps trahat: at ubi tempus intellectum illuminarit, & rationis usum non nihil elucidarit, subitus ille impetus matureſcit, reflectere incipit, & animus à furia illa liberatur.

Eodem etiam respexit magnus Ecclesiæ doctor Ambrōsius, quando Imp. Theodosio in iram pronō pœnitentiā iniunxit, non prius aliquem morti adiudicandum ad supplicium trahere, quam triceni à lata sententia elapsi essent dies, quod & lege dein Imperator sancivit, atque inter decreta sua voluit referre.

Hist. tripar. lib. 9 c. 30. Lib. 4. quest. Tusc.

Architas Tarentinus, ut in Tusculan. tradit M. Tullius cum in seruos insolentes, libertiusque agentes, pro domini iure libere & grauius potuisset animaduertere, sed ira commotus esset: ita impetum illum repressit, atque vindictæ appetitum intra rationis limites continuit, ut illo eos tempore punire noluerit, sed dixisse ei suffecerit, *fortunati quia irascor vobis*. Edocere hoc exemplo omnes præclarus ille Philosophus voluit,

subitos illos iracundiæ impetus esse refranandos, hominemque passionibus; non vero homini passionibus debere dominari.

Hoc sequimini velim Auditores, mandati illius, quod Ioseph Patriarcha fratribus Ægypto abeuntibus dedit, memores, *Ne irascimini in via*. Hoc menti vestræ infixum optem, & ne scilicet interea dum in vitæ huius tramite viam carpitis, ira vobis imperet, sed omni loco & tempore eamdem expugnetis, & compeſcatis.

Atque hoc est, quod à te, summe & clementissime Deus, amator pacis & non belli, hodie vnanimis suppliciter contendimus, quod à te postulamus: Hoc obsecro, nobis concede, ut nimirum in aduersis prudenter, in prosperis nos moderate geramus, simus in afflictionibus constantes, in tentationibus inexpugnabiles, in iracundia languidi. Atque hæc vera est ad coelam & ad perfectionem via, hæc ad maiorem quam Phariseorum erat, pertingendi iustitiam ratio: illi namque non nisi externam offerebant, & exteriori quadam apparentia te colebant: linguam tibi dicabant, (nam ore te laudabant) at cor mundo: solam enim vanam aucupabantur gloriam.

Nos vero, Deus clementissime, meliorem maioremque iustitiam conſectantes, cer simul & linguam offerimus, & magno tibi affectu, atque ardore animi, & ex totis vitibus & mente obsequi desideramus. Nostra igitur desideria, vota, oblationesque nostras benignus admitte, horum ut adminiculo gratiam tuam hoc in mundo & in altero gloria impetrare mereamur, cuius nos compotes reddant Pater, Filius, cum Spiritu sancto, Amen.